

vel per organum eius domestici Auditoris, cuius munus, maiores, vel minores habet occupationes, pro genio, vel stylo personæ quæ officium occupat.

De regulari verò natura huius Tribunalis est, se non ingerere in causis indifferentibus, in quibus manus apposit, vel apponere potest Signatura Iustitiæ; Minusque in ijs, quæ de iure competant, siue per ordinarios Iudices concedi, vel explicari possunt, sed solum in ijs, quæ indigent suprema, & extraordinaria Principis potestate; Vnde propterea quando contingat, vt huiusmodi petitiones fiant, tunc prudenter, ac fundatè emanare solet rescriptum, quod orator vtatur suo iure, siue quod suos Iudices, & magistratus adeat competentes; Et meritò quidem, ex iuris propositione, quod vbi suppetunt remedia ordinaria, & iuridica, concedi non debent extraordinaria, quæ à Principis suprema pendeant potestate, cum hæc merè subsidiaria censenda veniat.



De Signatura Iustitiæ, eiusque stylis; Et de Prælatis, ex quibus hoc Tribunal constituitur.

S V M M A R I V M.

- 1 Ad quid erectum sit hoc Tribunal.
- 2 Qua die teneatur.
- 3 De votantibus, & de differentia voti vnus, & alterius Signaturæ.
- 4 De voto, & potestate Præfecti.
- 5 De noua audientia, & de deposito faciendo.
- 6 De eadem potestate Præfecti circa qua teneatur.

- 7 De reuisore commissionum eiusque officiali, & de commissionibus sub banca in causis appellabilibus.
- 8 De Auditore Præfecti Signaturæ, eiusque munere.
- 9 Quid facere debeat appellans pro causæ propositione in Signaturæ.
- 10 Quomodo informetur Signaturæ.
- 11 Qualis sit numerus causarum seu commissionum.
- 12 Qui interueniant in Signaturæ ultra votantes, & Referendarios.
- 13 Ad quid sit interuentus Regentis Cancellariam.
- 14 De modo proponendi, & votandi, & quando resolutio conclusa dicatur.
- 15 De magno labore istorum Prælatorum.
- 16 Quod iudicia plura simul iuncta sint meliora, quàm singularia, licet virorum Magis doctorum.
- 17 De eodem magno labore Prælatorum sine stipendio.
- 18 De stipendio Præfecti, eiusque expensis.
- 19 Datur parabola, seu simile Curie, circa ordines Prælatorum.
- 20 Qui Prælati interueniant in Signaturæ.
- 21 De diuersis modis obtinendi Prælaturam.
- 22 De loco Referendariorum in Cappella.
- 23 De alijs curialibus.
- 24 De differentia Votantium Signaturæ Iustitiæ, & Signaturæ Gratiæ.
- 25 Quando appellatio admittatur etiam in causis executiuis.
- 26 Signaturæ committente causam appellationis simpliciter sit retractio, & intrant attentata.
- 27 De reiectione omnimoda commissionis etiam ad effectum deuolutiuum, & quando.
- 28 Et quando de laceratione commissionis.
- 29 De duobus modis rescribendi cum præseruatione executionis, & de differentia inter eos, seu inter clausulas.
- 30 De clausula translatiua si quid exequeretur, eiusque operatione.
- 31 De clausula cum facultate manutenendi vel de clausula constituto.
- 32 De clausula arbitrio.
- 33 An ista clausula suspensiuæ, vel translatiuæ habeant oculos retro atque inficiant executionem iam factam.
- 34 De clausula ad legitimam, vel ad vltiorem.

D I S C. XXXI.



Generaliter, pro omnibus vtriusque Pontificij, & temporalis Principatus, ac etiam particularis Episcopatus Vrbis, causis, & negotijs, tam spirituales, quam prophanis, pro quibus Principem adire oporteat, ad effectum committendi causas appellationis, vel restitutionis in integrum, siue decidendi controversias, super fori competentia, illis causis, & negotijs exceptis, quæ præcedenti discursu insinuatam est pertinere ad Signaturam Gratiæ, vt etiam infra aduertitur, agendo de illis Tribunalibus vel magistratibus, quibus specialiter, hæc exemptio competat; Erectum est hoc Tribunal, quod vice, ac nomine Papæ, regitur per Cardinalem eius Præfectum, in cuius domo qualibet feria quinta, seu die Iouis, non legitimè impedita, et quando hæc dies impedita sit, in alia, excepto tempore æstiuo, in quo minus frequenter ac alternatis hebdomadis, vel rarius pro negotiorum contingencia, habetur, cum interuentu omnium Prælatorum, qui vtriusque Signaturæ dicuntur, pro signandis commissionibus, præuia discussione, an & quomodo signari debeant.

Idè tamen est stylus, qui disc. præcedenti insinuatam habetur occasione alterius Signaturæ gratiæ, quod scilicet, ex Prælatis referendarijs, duodecim seniores, iuxta prælaturæ antianitatem, suum præbent votum; Cum hac differentia inter istam Signaturam Iustitiæ, & alteram Gratiæ, quod in ista, votum dictorum Prælatorum, non est solum consultiuum, vt in illa, sed arctatiuum, vt Præfectus teneatur illud sequi, adeò vt pro frequentiori contingencia, ipse non soleat eius votum proferre, nisi quando, ob votorum scissuram, & inæqualitatem, nulla capi valeat resolutio, quam suum votum cum aliqua præponderantia concludat; Ideoque vbi resolutio iam pro maiori parte conclusa sit, nil refert, an ipse diuersum habeat sensum, quem proinde prudenter explicare non solet; Benè tamen eius auctoritas operatiua est, quando videat causam non esse bene discussam, seu quod aliqua vota debitam, non habeant matu-

- 35 De commissionibus reformatorijs, vel de præinsertis.
- 36 De modo rescribendi Iudicibus oretenus vt moderentur inhibitionem seu alias prouideant.
- 37 De rescripto mixto committendo scilicet causam appellationis in parte, & in parte cum clausula præseruatiua, dantur exempla.
- 38 De circumspectione, vel alia prouisione, vt sententia absolutoria non causet vulnerationem.
- 39 De communicatione facultatum A.C. quid operetur.
- 40 Quod de facili tolli debet sententijs absolutorijs operatio vulnerationis.
- 41 Laudatur stylus euitandi has formalitates.
- 42 De abbreviatione termini ad prosequendam appellationem.
- 43 Commendatur stylus reiiciendi nullitates.
- 44 De rescriptis, vel mandatis, quæ dantur oretenus iudicibus.
- 45 De prouisionibus cum sequestro vel simili.
- 46 Quando causa dicatur turbida vt rescribatur de clausula translatiua, & de stylo Tribunalis.
- 47 In dubio, an sit rescribendū de clausula præseruatiua, vel potius de translatiua executionis.
- 48 De fori, vel iudicis competentia.
- 49 De recusatione iudicum ex causa suspicionis, & quare in Curia ista quæstiones sint rare.
- 50 De causis eriminalibus, coram quo cognoscatur.
- 51 Temporis antiquitas considerari solet pro commissione etiam ad suspensiuum.
- 52 Et vbi concurrat factum plurium iudicum hinc inde.
- 53 Quod ista Prælatura Signaturæ non præbeat emolumentum, neque frequenter præmia.
- 54 De iudicibus, & Tribunalibus, quæ non subiaceant Signaturæ Iustitiæ.
- 55 De præcedentia inter hos Prælatos, & Generales Religionum.



ritatem, demandandi dilationem resolutionis ad alteram Congregationem pro maturiori examine, & resolutione siue aduersus iam captam resolutionem concedere nouam audientiam, quæ pro frequentiori stylo pro prima vice negari non solet, & quandoque etiam pluries concedi pro causarum qualitate, seu pro diuersis circumstantijs, ideoque desuper regula certa, & generalis statui non potest.

Benè verum, quod cum noua audientia frequenter peti solet, ad impediendam seu protrahendam executionem seu causæ cursum, cum alterius partis præiudicio, pro expensis, quas pati oportet in causæ repropotione pro honorario Causidici, & pro mercede copistæ, quæ expensæ ex quodam antiquo Curie stylo, æstimatione habent in scutis quatuor monetæ, quamuis reuera soleant esse longè maiores, ubi præsertim agatur de causis grauibus, in quibus, ultra causæ Patronum, adhibeatur etiam opera Advocatorum; Idcirco illa Pars, quæ iterum audiri cupit, tenetur facere depositum huius summe, ad effectum, ut in casu succumbentis, quodque persistatur in iam decisis, illud liberetur alteri Parti pro refectione dictarum expensarum; Verum de facto istæ effectus non sequitur, quoniam ex frequentiori, voluntario tamen, non autem necessario stylo, id cedit in emolumentum causæ Patroni, tanquam præmiu[m] confirmatæ victoriæ, isto stylo aliquam fortè habente probabilitatem, in recompensam plurium laborum quos causarum Patroni siue mercede, vel honorario facere solent.

Ad Præfectum itaque pertinet, nouam audientiam vsupra concedere, ac etiam discernere, quænam causæ vel commissiones dignæ sint iudicio plenæ Signaturæ, cui remittantur, concedendo interim vsque ad primam, vel respectiue secundam Congregationem, supersefforiam recurrentibus; Non omnes enim commissiones in plena Signatura proponuntur, sed solum illæ, super quibus dubium cadat an admitti vel reijci mereantur, potissimè verò in causis de sui natura summarijs, vel executiuis, quæ non admittant appellationem suspensiuam, cui tamen locum esse debere per appellantem, prætendatur, ratione nullitatis vel iniu-

stitiæ, ob quarum vnam vel alteram, recepta propositio est, quod intrat appellatione suspensiuæ, etiam in causis de sui natura executiuis, seu aliàs dictam appellationem suspensiuam non admittentibus; Vbi etenim agatur de causis, quæ sint de sui natura appellabiles, ad vtrumque effectum, adeo vt desit præfatæ disputationis occasio, tunc signantur commissiones nomine Papæ ab ipso Præfecto in camera; Atq; ad hunc effectum, habet quædam sibi assistentem officialem in his materijs valdè peritum, qui commissionum Reuisor appellatur; Ipse enim diligenter reuidet cõmissiones, quæ signandæ Præfecto porrigantur, & quando agnoscat eas esse in causis absque dubio appellabilibus ad vtrumque, illas Præfecto proponit, vt cum consueto rescripto signentur committendo causam in Rota, vel Prælato, aut alteri in partibus pro negotiorum qualitate, ubi verò agnoscat petitionem non esse congruam, eam reijcit; Siue ubi agatur de causis de sui natura executiuis, ordinat rescriptum cum clausula præseruatiua executionis quæ propter eam non impediatur, ideoque peti solet per appellantes iudicium plenæ Signaturæ, quod frequentius immediatè ab initio peti solet, ad istum circuitum euitandum.

Ob negotiorum verò multiplici-  
tatem Præfectus dictas eius partes, & præsertim circa concessionem recursus, vel regressus ad plenam Signaturam, cum concessione vel respectiue denegatione supersefforiam, ac etiam super reuocatione attentatorum, quæ committerentur inspretum supersefforiam concessæ per Signaturam, vel in spretum recursus ad eam, explicat per eius Auditorem, qui multa expedit negotia, præsertim circa remissionem causarum ad partes in prima instantia, siue circa iudicij competentiam, & an vni vel alteri iudici, causa committi vel remitti debeat, vel ad vnu, seu ad alterum Notarium pertineat, cum similibus incidentibus quæ ad istius Tribunalis, determinationem pertinent; Quando verò Partes iudicio Auditoris non acquiescunt, recurrunt ad eundem met Præfectum, quo discernente idem, quod decreuit Auditor, tunc petitur iudicium plenæ Signaturæ, quod negari non solet; Negando tamen pro causarum qualita-

te supersefforiam, cuius concessio vel denegatio à Præfecti arbitrio pendet; Et quando appellantes non indigeant supersefforia, etiam directè sine hac licentia commissiones parti appellatæ transmittunt in plena Signatura proponendas.

Priusquam verò dicta Congregatio, in consueta, vel in alia statuta die sequatur pro huiusmodi commissionum discussione, stylus est, à quibusdam decretis, vel provisionibus comprobatus, atq; effectus necessarius, quod appellans tenetur, saltem per octo dies antea, transmittere appellato copiam commissionis, cum citando ad dicendum causam, quare in prima proxima Signatura proponi non debeat per Prælatum ibi descriptum, illaque commissio signari, iuxta petita; Nec non cumulatiue tenetur, saltem duobus diebus sequentibus, nempe in sabatho, ei facere intimationem qualiter causa omninò proponetur à Prælato, qui in prima citatione enunciatus est, vel ab alio, quem mutare potest, dum modo in hac intimatione cum indicet; Et quatenus his non præcedentibus causa proponatur, absq; eo quod altera Pars informet, neque se defendat, tunc habetur pro non proposita, neque resolutio aliquod causare potest præiudicium; Si verò, tam citatio, quam intimitio sequantur, appellans autem non curet causam proponi, tunc tenetur ad expensas factas per appellatum, in informando, in scriptis, & ore tenus Nisi re integra, nēpe die dominico vel saltim die lunè diluculo aliam fecerit intimationem, qualiter causa non proponetur, istaque disintimatio appellatur.

Etiam in nostra ætate, vsque ad tempora Alexandri VII., informatio Prælatorum, & Præfecti, fiebat die martis, eademque die de serò distribuebantur informationes in scriptis, adeo vt (iuxta stylum Rotæ, & Camera), vna tantum superesset dies intermedia pro studio, eademque dies, iuxta eundem stylum, superesset causarum defensoribus respondendi hincinde; Per dicta verò decreta seu ordinationes, sub præfato Alexandro, cum ob causarum multiplici-  
tatem, vna dies pro studio incongrua reputaretur, altera adacta est; Ideoque informationes in voce fiunt die lunæ, eademque die de serò distribuuntur, illæ

in scriptis, atque die martis fiunt response, vnde propterea Prælati maius habent spatium studendi; Id autem compensatum remanere videtur à maiori cumulo scripturarum, dum ita vna Pars curat videre response datæ, per alteram, vnde fiunt replicationes, etiam geminatæ.

Causarum proponendarum numerus præfinitus nõ est, eo modo quo in Signatura Gratia, sed est maior, vel minor, iuxta negotiorum contingentias, siue iuxta maius, vel minus interuallum, inter vnâ Signaturam, & alteram, quando festa, vel alia impedimenta causent hanc protractionem; Omnesque Prælati non votantes, qui propterea (ad differentiam) Referendarij dicuntur, quotquot sint, atq; causas habeant proponendas, eas proponere possunt; Cum hoc tamen ordine, quod quando Signatura non est interrupta, id est quod hebdomada præcedenti tenta fuerit, proponere non possunt nisi duas causas pro quolibet; Quando verò adest interruptio, proponere possunt quoque tertiam, istæque dicuntur causæ intra ordinem; Vbi verò à Partibus requiratur pro aliarum causarum propositione, vt contingere solet in illis Prælati, quorum bona opinio circa literaturam, & applicationem habeatur, siue generaliter in omnibus, quando ob intermedias vacationes, negotiorum cumulus factus esset, tunc id fieri non potest, nisi de licentia Præfecti, qui concedit, vel negat, pro eius arbitrio istæque dicuntur causæ extra numerum; Atque vt sciant Prælati Votantes causarum qualitatem, quæ scilicet sint causæ intra, & quæ extra numerum, ac etiam earundem ordinem, quæ scilicet proponendæ sint, in primo, & quæ in secundo, vel in tertio, siue vltiori turno, qui seruatur inter ipsos Referendarios, vt singuli vnâ tant si proponant gradatim; Idcirco seruatur, quod Ponens id manu sua adnotet in dorso informationis in scriptis quæ datur Præfecto, quod scilicet proponet causam in tali die, & tali turno, eademque adnotatio transcribitur in dorso informationum, quæ dantur Votantibus.

Itaque die Iouis de mane, omnes Prælati, tam votantes, quam proponentes, (qui Ponentes dicuntur), Congregantur in Palatio Præfecti, in quo etiam interueniunt;



niunt; Rotæ decanus, vel Prodecanus; Regens Cancellariæ; Duo Locumtenentes Ciuiles Auditoris Cameræ; Et Locumtenens ciuilis Vicarij, tanquam Iudices illorum Tribunalium, in quibus, (quatenus pertinet ad causas curiales) illæ tractatæ sunt, seu introductæ, excepto Regente, qui non est Iudex, sed eius interuentus iustam habet causam, dum iuxta superius insinuata, agendo de Cardinali Vicecancellario, ad ipsum tanquam Vicecancellarij substitutum pertinet distribuere Cardinalibus vel Prælatibus, seu Rotæ Auditoribus, illas commissiones, quæ per vnâ vel per alteram Signaturam admittantur, ac signentur.

Sedentibus itaque cum statuto ordine, Præfecto scilicet in capite tabulæ ad id paratæ, & duodecim Prælatibus votantibus, dictisque alijs Prælatibus officialibus, in partibus lateralibus, adeo vt singuli habeant commoditatem scribendi ea quæ adnotare videatur; Ille Prælatibus qui, extra numerum votantium causam proponit, atque Ponens dicitur, sedendo in fine mensæ è conspectu Præfecti, refert oratoris petitionem, & causæ statum, ac merita, suumque votum omnium primus profert, quod postmodum proferunt votantes cum eo ordine, vt iunior incipiat, atque Præfectus vota adnotat, ex eorum maiori parte concludendo resolutionem, dum etiam votum Ponentis est decisuum, atque sufficit excessus mediæ tatis, etiam in medio voto ad concludendam resolutionem, iuxta regulam generalem electionis, aliorumque actuum collegialium; Vbi verò vota sint paria, tunc vel propositio differri solet, quatenus Præfectus pro eius frequentiori stylo votare nolit; Vel ipse votando concludit resolutionem.

Penè incredibilis autem videtur istorum Prælatorum labor, eorum scilicet, qui tam pro conscientia apud Deum, quam pro existimatione apud homines, suum munus benè peragere velint, quod scilicet prius intra solum spatium vnus diei, hodiè verò duorum, inspicere, ac maturè examinare valeant tot causas, quæ frequenter numerum centesimum excedunt, & inter quas multæ solent esse graues, quæ habent informationes plurium Aduocatorum hincinde, pluresque Rotæ decisiones; Vbi præsertim agatur

an rescribendum sit de appellatione etiã suspensiuâ aduersus tres conformes, quæ omnes vel earum aliqua sint Rotaes, adeo vt vna istarum causarum censenda veniat sufficiens occupatio vnus diei; Et tamen, partim per se ipsos, & partim per beneuolos, & confidentes Curiales, qui diligenter inspiciendo omnes informationes, & summaria, cum debita fidelitate in compendio eis referunt facti feriè, & motiua, quæ hincinde deducantur, & de omnibus benè discurrunt, benèque se informatos ostendunt, per inde ac si causam diù tractassent.

Atque præsertim hoc Tribunal me docuit, quàm magna sit operatio plurium iudiciorum simul congregatorum, in idem, quoniam si consideretur idoneitas singulorum Prælatorum votantium pro consueta collegiorum vel vniuersitatum conditione, adesse solent aliqui, non multum periti; Et tamen ille cætus, iuxta axioma, quod plus vident oculi quàm oculus; Siue quod id quod non percipit vnus, percipit alter intellectus, Aut ex diuino oraculo, quod vbi sint duo vel tres congregati in nomine meo ibi ego sum, frequenter, vidi excogitari motiua, ad quæ in diurna causæ disputatione, in Rota, vel in alio Tribunali, neque per Aduocatos, & Procuratores, cogitatum fuit; Atque prudentissimas, ac ingeniosas prodire resolutiones, quæ in eorum singulis, prorsus incongruæ, ac penè impossibiles videntur.

Tam istum, quàm alterum Signaturæ Gratia laborum, adeo magnum, supportant isti Prælati votantes, gratis omnino, absque vlla, nè quidem minima mercede, vel stipendio, siue litigantium recognitione, suo sumptu in Curia, cum cõuenienti decore, se sustentando, ipsique Curia inseruendo; Quinimò aliqui ex istis Prælatibus, qui in Congregatione Consultæ interueniunt in alijs duabus eiusdem hebdomadæ diebus, cumlatiuè, alium magnum habent laborem supra enunciatum, videndi, & referendi processus criminales in dicta Congregatione Consultæ; Et quandoque in eadem hebdomada cumulantur negotia aliarum Congregationum, in quibus interueniant, puta Rituum, & Immunitatis ecclesiasticæ, vel Boni Regiminis, siue aliarum extraordinariarum, & particulariũ, adeo vt,

adeo vt, rectè dici valeat, quod maior sit labor vnus ex his Prælatibus; qui vsupra, benè suum officium facere velit, quam cuiuslibet primarij nimiumque occupati Aduocati, vel Procuratoris; Et tamen est labor merè gratuitus, qui libenter præstatur, illumque præstandi occasio desideratur; Atque in hoc præsertim dignoscitur Papæ Romanæ quæ Curia maiestas.

Præfecto huius Signaturæ, non autem alteri Gratia, ex antiquo stylo, Camera Apostolica, suo sumptu, præstat stipendium mensuorum scutorum centum auri, eodem modo quo præstat aliquibus Sacrarum Congregationum Præfectis vsupra; Benè verò quod istud emolumentum penè absorptum remanere solet ab expensis, tam scilicet pro sustentatione Auditoris, quàm pro illis recreationibus, quæ ex quadam consuetudine in eius domo fiunt in illis diebus feriarum, in quibus, extra consuetum ordinem, pro negotiorum vrgentia, teneatur Signatura, quæ hoc tempore, congregatio appellatur.

Quoerò ad Prælatos, qui in hoc Tribunali interueniunt, illudque constituunt, discretiuè ab alijs, qui sint Prælati, sed in ea non interueniunt; Pro mea capacitate, Romanam Curiam assimilare consueui illis Ecclesijs Cathedralibus, quæ iuxta aliquarum regionum pluries alibi enunciatis mores, sint etiam non numeratæ, ac receptitæ, quod scilicet vltra Dignitates, & Canonicos, in numero præfixo, habeant etiam clericos, & ministros diuersorum statuum & ordinum, nempe; Cappellanos; Diaconos; Subdiaconos; Et clericos; Atque istorum aliqui sint constituti in aliquibus, ordinibus minoribus alij verò [prima tonsura solum] initiati, vltra eos, qui in alijs muneribus inferioribus, Ecclesiæ seruitio addicti sint, quorum, Aliqui dicuntur oblato, seu iuxta aliquorum regionum morem, clerici saluatici; Aliqui verò puri sæculares seruientes.

Si quidem, assimilando Papam Episcopo; Cardinales in numero præfinito, sunt Dignitates & Canonici; Patriarchæ verò; Archiepiscopi; Episcopi; Prothonotarij, & Auditores Rotæ; Clerici Came-

ræ; Præsidentes, & officiales Cancellariæ; Ac vtriusque Signaturæ Referendarij, sunt respectiuè de reliquo cætu; Cappellanos scilicet; Diaconorum; Subdiaconorum; Et clericorum, qui diuersos minores ordines habeant, pro qualitate scilicet ordinum vel officiorum; Vnde propterea vtriusque Signaturæ Prælati, qui non sint de dictis Collegijs Rotæ & Cameræ, neque sint ordinis Archiepiscopalis vel Episcopalis, dicendi videntur clerici in minoribus; Cum hac differentia, quod eorum aliqui habeant alios ordines minores vt (ex. gr.) sunt Prothonotarij, & Abbreviatores, alijque officiales Cancellariæ, siue aliud habentes officium, quod annexam habeat prælatram; Illi verò simplices Referendarij, assimilandi veniunt clericis primæ tonsuræ, qui nullum alium ordinem annexum habeant, cum aliquo munere maiori inter eos in eodem seruitio Signaturæ, quod scilicet; Aliqui sunt votantes, & alij simplices Ponentes, sed intrà idem genus; Ideoque in Signatura non proponunt, neque votant Prælati constituti in ordine Archie-

piscopali, vel Episcopali, minusque illi duorum maiorum tribunalium, Rotæ scilicet, & Cameræ, sed solum illi qui dicuntur vtriusque Signaturæ Referendarij, quamuis aliud munus annexum habeant, vt sunt, Prothonotarij, & Prælati de Parco, ac alij habentes aliqua officia, quibus annexa est Prælatura.

Dupliciter autem personæ quæ Curia sequuntur constituuntur in ista Prælatura Referendariorum vtriusque Signaturæ; Aliqui enim emunt illa officia, quibus ista Prælatura vtriusque Signaturæ annexa est; Vt sunt; Auditoratus; Thesauraria generalis; Clericatus Cameræ; Prothonotariatus de Collegio participantium; Abbreviatoria de parco maiori, Audiendi confidentiarum, & Contradictarum, pluraque alia similia officia, quæ venalia sunt; Non quidem ratione Prælaturæ, vel administrationis, sed ratione emolumenti, vt in Regalium sede latius, de eis agendo aduertitur. A

Aliqui verò, volentes se addicere seruitio Sedis Apostolicæ, hanc simplicem Prælaturam vtriusque Signaturæ, sine alio officio assumunt ex mera gratia Papæ,



pe, qui eos admittere solet, qui certas habeant qualitates ad normam modernæ Constitutionis Alexandri VII., examinandas, & approbandas ab hoc eodem Tribunali Signaturæ Iustitiæ, ut exinde per gradus, ad maiora munia transeant, adeo ut recte verificetur dicta assimilatio, quod scilicet ista Prælatūra sit illa species adscriptionis cælesti militiæ, seu vitæ clericali, quæ fiat per assumptionem primæ tonsuræ, tanquam ianua, seu introductionis ad alios ordines maiores, ita à pari.

Istamq; veritatem comprobavit moderna reformatio cappellæ pontificiæ sub Alexandro VII., dum in ea locum non habet iste ordo Prælatorū, qui aliud officium non habeant, eis verò, qui sunt Votantes, attributus fuit locus & munus Acolytorum; Alij verò simplices Referendarij ad quasdam functiones assumi solent, puta deferendi hastas pallij seu baldacchini Papæ in processionibus, & similia, sine loco in cappella.

Reliquis verò Curialibus togatis, nempe Aduocatis, & Procuratoribus, ac alijs sub Curialium togatorum sede inferius recensiti, qui Prælatūra non polleant, cõgruit dicta assimilatio aliorum inferiorum seruentium Ecclesiæ, quoniam isti sunt seruietes Curie.

Quod autem dictum est, ut constituti in ordine Episcopali, vel Clerici Camerae non interueniant in Signaturæ, procedit in ista Iustitiæ, non autem in altera Gratia, in qua antiqui Prælati qui non habeant onus residentia, quamuis sint Episcopi titulares, assumunt hoc munus Votantium, non autem Pontificum, Idemque faciunt Clerici Camerae, cum quorum officio istud munus est compatibile, non autem cum illo Auditorum Rotæ, ut praxis docet.

In isto autem Tribunali, ut supra Congregato, maiores disputationes cadunt, super modo rescribendi in illis commissionibus appellationis, vel restitutionis in integrum, quæ porrigantur in causis, in quibus regulariter non intret appellatio, saltim ad effectum suspensiuum, dum, (ut præmissum est) commissiones

in causis appellabilibus, non proponuntur in plena Signatura.

Stante siquidem superius insinuata propositione, quæ theoreticè, & practicè vera est, & recepta, ut etiam in causis quæ sint de sui natura executiua, seu quod aliàs non admittant appellationem suspensiuam, ista intret ratione iniustitiæ vel nullitatis, quamuis etiam agatur de re iudicata, vel de tribus conformibus, cum sententiâ iniusta, vel nulla nunquam transeat in iudicatum, atque id quod dicitur de tribus conformibus, intelligendum est de validis, & iustis, cum sententiâ nullæ, vel iniustæ, neque sententiarum nomen mereantur. B

Hinc proinde, per succumbentes adiri solet Signatura, atque deducendo formiter omnia ea, quæ respiciunt iustitiâ, & merita negotij principalis, ita conantur probare quod commissio appellationis est signanda, etiam ad effectum suspensiuum, vel cum clausula translatiua executionis, super quo succumbentium partes versari solent.

Variis autem est modus rescribendi, pro diuersa causarum natura, seu qualitate; Vbi etenim ratione iniustitiæ claræ, vel nullitatis, credit Signatura quod appellatio simpliciter intret, ideoque ita simpliciter rescribit, tunc notabilis resultat effectus appellato præiudicialis, nõ solū quia suspenditur futura executio, quæ ab eo desideratur, sed etiam quia retractanda est itaquam attentata illa executio, quæ facta sit, cū ista rescripti species habeat oculos retro seu vim retrahentiã, dum ita declaratur, causa de sui natura appellabilis. C

Vbi verò è conuerso credatur quod appellatio friuola sit, seu quod aliàs nullatenus admittenda veniat, neque in deuolutiuo, ad tollendam occasionem indebitæ defatigationis victoris; Vt (ex gr.) contingit in tribus conformibus, vel in re iudicata, vel alia simili, adeo ut dignoscatur appellationem etiam in deuolutiuo non intrare; Tunc, si agatur de commissione, quæ proponatur ex parte appellantis, ea rejicitur, respondendo cum consueto verbo *nihil*; Et si appellans cura-

B. tit. de indic. disc. 37. & 38.

C. dicto disc. 37.

curauit clandestinè, siue, ut vulgò dicitur, sub banca, causam appellationis committi sub tali palliata narratiua, quod Reuiforem de quo supra deceperit, seu quod iste ad id non aduerterit, tunc rescribi solet de laceratione, ut habeatur, perinde ac si signata non esset.

Quando verò credatur locum esse appellationi in solo deuolutiuo, adeo ut nõ impediatur executio, tunc duplex est rescribendi modus; Vnus scilicet, per quem, præseruata quidem remaneat iurisdictio Iudicis à quo, exequendi eius sententiam vel decretum, non tamen impediatur appellans prosequi causam appellationis, siue non impediatur Iudex ad què in ea procedere; Et alter est modus per quem ita executio præcisè, atq; pro conditione præseruetur, ut aliàs impediatur appellans causam appellationis prosequi, atque Iudex ad quem careretur iurisdictio; Ideoque notabilis differentia est inter vnum scribendi modum & alterum.

Primus modus concipi solet cum clausula *sine præiudicio legitima executionis*; Vel *sine præiudicio mandati de mantenendo* &c. Aut *sine præiudicio trium conformium*; Vel *sine præiudicio immisionis*, cum similibus; Et tunc præseruatur executio faciendâ, ac etiam canonizatur iã facta, ut ad vltiorem consumationem procedi valeat, sed id non impedit interim prosecutionem appellationis vtsupra; Et hic est modus rescribendi in causis pecuniarijs, alijsq; indifferentibus, in quibus actū sit in vim obligationis cameralis, vel alterius processus de sui natura executiui; Siue summarijssimi possessorij retinendæ; Aut quod agatur de decreto prouisionalibus, cum similibus, de quibus in sua iudiciorum sede.

Alter verò modus concipi solet in forma ablatiui absoluti, vel in alia æquipollenti, quæ redoleat conditionem suspensiuam, sub cuius præiudicio implemento causa commissa dicatur; Puta (vbi præsertim agatur de pensionibus ecclesiasticis), est clausula *non retardata solutione*; Aut (vbi agatur de re iudicata) est clausula *parito iudicato*; Siue (vbi de executione li-

terarum Apostolicarum) est clausula *parito literis vel parito Breui*; Aut vbi agitur de attentatis, vel de spolio violento, est clausula *purgatis attentatis*, vel *purgato spolio* &c.; Siue vbi de subministratione alimentorū, vel de alia refectione, est clausula *subministratis*; Vel clausula *refectis* &c. cum similibus; Et tunc id importat conditionem, quæ prius adimplenda est, adeo ut Iudex non habeat iurisdictioem, nisi id prius impleatur, cū ista sit natura ablatiui absoluti puri. D

Quandoque verò, inter hæc extrema, datur medium, quod etiã *disc. præcedenti*, insinuatū, est quia nempe Signatura reputet causam turbidam, vnde propterea in ambiguo sit; Itã enim reputando punctum maturiori discussione dignum, coram Iudice ad quem, abstinere à rescripto de appellatione simpliciter, ne causam appellabilem declaret, ob graua præiudicia exinde resultantia vtsupra; Verum abstinere quoque ab alio rescripto præseruatiuo executionis; Ideoque mediam viam tenet, per quam, consultum quidem remanet appellanti, nõ tunc patitur executionem, sed consultum quoque sit appellato, ne futura executioni, quatenus illi de iure locus esse debeat, præiudicatum remaneat; Vnde propterea, quando agatur de causis pecuniarijs, vel alijs indifferentibus, in quibus, cessante turbiditate, rescribi solet de clausula *sine præiudicio*, rescribitur cū clausula *si quid exequendum*; Itã scilicet rescribendo Iudici ad quem, ut si quid exequendum de iure credat, exequatur, sin minus appellationis causam cognoscatur; Huiusque clausulæ virtus est nimium considerabilis, quod scilicet, non solum præseruata remaneat facultas, exequendi sententiam, vel decretum à quo appellatum sit, sed etiam præseruet competentiam processus executiui in genere; Adeo ut si illa sententia vel decretum, ratione alicuius nullitatis, vel excessus, non mereatur executionem, benè tamen ipsa causa sit executiua, per istam clausulam concedi potest mandatum executiuum ex integro, tanquam in prima. E

P. 2. Relatio T Siue

D. Bich. dec. 520. & Gregor. add. decis. 36. & 492. dec. 322. par. 12. rec. & passim.

E. Bich. dec. 574. in fin. Cels. dec. 92. & passim cum sit receptum & quotidianum.

C.



Siue ubi agatur de mandato de manutenendo rescribi solet *cum facultate manutendi quem de iure*; Vel ubi de tribus conformibus, rescribitur cum clausula *constitit de tribus*, quæ exequi mereantur; Et quædo vigeat Statutum, per quod duæ conformes habeant vim trium rescribitur *constitit quod sit locus Statuto de duabus*; Aut ubi agatur de interdictis possessorijs adipiscendæ, vel recuperandæ, in quibus, ubi agatur de causis Status ecclesiastici immediati, inter laicos absque mixtura personarum vel bonorum ecclesiasticorum, in vim Constitutionis Ægidianæ innovantis dispositionem iuris civilis, ac remouentis obstaculum iuris canonici, sublata est appellatio suspensiuæ; Vnde propterea, cessante turbiditate, in vim huius Ægidianæ rescribitur de dicta clausula *sine præiudicio*; Attamen, quando turbiditas exigit, rescribitur de clausula *constitit quod sit locus Ægidiana*, cum similibus.

Et quando agatur de illis causis in quibus visupra, contra appellatorem magis rigorosè rescribi solet, per ablatiuum absolutum, adeòvt exequutio vel implementum præcedere debeat, tunc rescribitur cum clausula *arbitrio* nempe *parito literis arbitrio* vel *parito iudicato arbitrio* vel *refectis arbitrio* &c.; Istaque dicitur clausula translatiua exequutionis, donec Iudex ad quem, cognoscat, ac iudicet, an pro retardatione intret, necne arbitriū, quod regulandum est à iure, & sic à iustitia vel iniustitia; Vnde propterea, tam in ista, quam in alijs præcedentibus clausulis, quæ sint quidem translatiue exequutionis, sed sint præseruatiue processus exequutiui, assumi solent ex integro disputationes, etiam in meritis.

Super huiusmodi mixtarum clausularum virtute vel operatione, contentio vigere consuevit inter Signaturam & Rotam, ac etiam ipsamet Rota variare solita est, an scilicet operetur eandem vim retrotractiuam de qua supra, adeòvt non solum impediatur exequutionem faciendam, sed etiam retractet iam factam, vel potius operetur in futurum tantum, ita faciendo punctum, seu impediendo in statu, & terminis; Rota enim sequi consuevit primam magis rigorosam opinionem retrotractionis; Signatura verò posteriorem, atque super

huius opinionis defensione circumferatur votum Magistri mei Andosillæ Signaturæ Decani, ac prius ingeniosissimi ac primarij Aduocati; Istaque posterior opinio, non solum mihi semper visa est probabilior, sed magis recepta est in Curia, quoniam hæc materia pendet à iudicio Signaturæ, quomodo scilicet causam committere voluerit, idcirco eiusdem Signaturæ sensibus deferendum est; Ac etiam quia de attentatorum vitio redargui non debet appellatus, vel Iudex à quo, dū ex regulari natura causæ iuste credidit ad exequutionem deuenire potuisse.

Quia verò aliquando, de tempore quo causa proponitur in Signatura, exequutio est cæpta, non tamen adhuc perfecta est consumata; Tunc rescribi solet cum clausula *alteri qui ad ulteriorem exequutionem*; Siue cum clausula *alteri, qui ad legitimam*; Istaque clausula quoque adijci solet, quando etiam Iudex ad quem opinatus fuerit, ac decreuerit, locum esse exequutioni sententiæ vel decreti Iudicis à quo, adhuc tamen Signatura dubitet, quod quandoque pluries reiterari solet, quando præsertim, inter Rotam, & Signaturam, oriatur opinionum dissonantia, vt quodlibet Tribunal suam opinionem sustinere velit, adeòvt inter hæc Tribunaia quædam antiqua & conaturalis (virtuosa tamen & literaria) æmulatio dignosci videatur.

In eadem quoque prima instantia, de modo rescribendi, seu de modo reformandi commissionem, in Signatura disputari solet; Quia nempe, ille, qui in substantia sit Reus, in ordine se faciat Actorem in eo iudicio quod diffamationis vel iactationis dicitur, seu aliàs, curauerit committi causam in Rota, vel coram alio Iudice, super negotio principali, vnde propterea ille, qui verè est actor, ita, præuentus, quoties lacerationi commissionis, ratione incompetentiæ Iudicis, locus non sit, vt infra, neque illum Iudicem recuset, adire solet Signaturam, cum alia commissione, quæ præinserta dicitur, petendo rescribi eidem, perinde ac si prima commissio signata esset, cum clausula præseruatiua exequutionis obligationis cameræ, seu literarum apostolicarum, vel alterius processus exequutiui, qui remanet ita præseruatus.

Idem.

Idemque in commissione appellationis, quam simpliciter obtinuerit quoniã ex parte appellati porrigi solet altera commissio, quæ præinserta dicitur, obtinendo rescribi super reformatione primæ commissionis, vt censeatur perinde ac si esset signata cum clausula *sine præiudicio* vel cum clausula *parito*; Vel *purgatis*; Seu *refectis*, & simili.

Procedunt hæc, quædo agatur de causis Rotilibus, vel etiã prælatis, in quibus procedatur per viã delegationis seu commissionis; Vbi vero agatur de causis introductis coram Iudice ordinario appellacionis, qualis in Curia est Auditor Camere, in causis extra Curiam, vt infra in eius Rubrica aduertitur, adeòvt per ipsam data fuerit consueta citatio cum inhibitione, per quam effectus suspensiuus quoque resultet; Tunc eo renuente suã inhibitionem moderari, adiri solet Signatura, vt mandet Iudici inhibenti, quod suã moderetur inhibitionem ad effectum suspensiuum, firma remanente causa in deuolutiuo.

Atque si casus præbeat, quod sententia, vel decretum Iudicis à quo, contineat iniustitiam vel excessum in parte, siue quod in parte causa videatur clara, & in parte turbida; Tunc licet de stricta iuris censura intrare debeat appellatio in totum, quoties sententia concepta non sit per capita separata, sed vnica structura verborum, cum ratione indiuiduitatis, & ex regula, quod vna & eadem res diuerso iure censi non debet, appellabilitas in parte, influat in totum G; Adhuc tamen, ex commendabili huius Tribunalis stylo, neglectis huiusmodi legaleis rigoribus, præseruatur exequutio in parte debita vel clara, quoties subiecta materia patitur hanc diuisionem, rescribitur autem de appellacione in parte turbida; Putà, pro frequentiori praxi, in Regni Neapolitani Curijs inferioribus, vigere solet stylus, reuerà erroneus, qui etiam praxi illius S. Consilij est contrarius, admittendi ex abrupto exequutionem pacti rescissorij in cõtractu censuali, ob non solutionem aliquorum terminorum fructuum, vnde propterea relaxa-

ri solent mandata exequutiua pro forte & fructibus, quoniam licet de iure appellatio in totum intrare deberet, attamen rescribi solet de clausula *sine præiudicio quoad fructus*; Siue ubi mandatum sit pro aliqua summa, cuius pars videatur liquida, altera verò illiquida, vel turbida, tunc rescribi solet de clausula *sine præiudicio in parte*, & in alia parte, de clausula translatiua.

Quinimò licet idem stylus prius procederet, solum re integra, priusquam scilicet ad exequutionem deuentum esset, cum isto casu magis communiter recepte propositiones doceant, vt excessus quamuis modicus vitiet totum; Adhuc tamen ab aliquo moderno tempore, (quod quidem pro meo sensu commendabiliter) subfineri consuevit exequutio pro summa debita & liquida, rescribendo pro eius præseruatione, quoniam debemus, quò magis fieri potest, recedere à quibusdam rigorosis, & iudaicis rigoribus legalibus, atque adherere naturali veritati, rescãdo calumnias, quorum fomentum legales rigores esse solent.

In causis quoque de sui natura sine dubio appellabilibus, & quæ signari solent à Præfecto in aula, siue vt dicitur sub banca visupra; Adhuc disputari solet in plena Signatura, ad instantiam appellati, quando ageretur de sententia absolutoria debitoris, vel alterius Rei, ob præiudicium vulnerationis viæ exequutiue, quæ à tali sententia resultat, quoties debiti, vel actionis substantiam, non autem solum ordinem, vel incidẽtia percutiat, vt in sua sede aduertitur H; Quoniam, vt creditor euitet hoc præiudiciũ, recurrere solet ad plenam Signaturam, vt per explicitã, vel implicitã, ac virtualẽ dictæ sententiæ circumscriptionem, causam iudici tanquã in prima committat ex integro, adeòvt possit dictus Iudex ad quem procedere in processu exequutiuo, quatenus agnoscat quod absolutoria iniuste data sit; Verum id raro concedi solet, nisi de nullitate vel iniustitia notoria constet, quo casu, neque necessariũ est Signaturæ rescriptum, cum de iure

P.2. Relatio

T 2

ex

G. sub tit. de iudic. in Rubrica appellacionis disc. 37.

H. tit. de iudic. in Rubrica iudicij, vel processus exequutiui, disc. 42.



ex hac specie sententiæ, vulneratio non sequatur I; Adhuc tamen desuper dari non potest regula certa, cum penè tota materia huius Tribunalis arbitraria videatur, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantijs.

Opinatur vulgus illorum Practicorū, qui nihil scientes à priori, totum sciunt per praxim, ac per traditiones, ideoque, vt dicere soleo, sunt testes de auditu, non autem de visu, vt ad hunc effectum sufficiat communicatio facultatum Auditoris Camerae, atque super hac petitione magnas vidi fieri, ac etiam feci disputationes; Verum istud est æquiuocum clarum, quoniam communicatio huiusmodi facultatum, ideo fieri solet, eò quia in Curia, vbi præsertim agatur de executione obligationis cameralis, Auditor Camerae procedit executiuè cum priuatiua, dum in facultatibus habet quoque ita procedendi, iuxta vnā opinionem etiam cum priuatiua inter mercatores, & negotiantes, et in omnibus illis, casibus, in quibus in loco cōtractus siue in foro debitoris, ex legibus vel stylis particularibus ita procedi potest, vt infra in eius particulari rubrica aduertitur, L. ideoque præsertim Tribunal Rotæ, quoniam non accedat huiusmodi facultatum, explicita communicatio, siue illa implicita, quæ resultat à supra enunciatis clausulis *Si quid exequendum*, Vel *Qui ad legitimam*, non adhibet processum executiuum; Et per consequens cum deuoluta causa per appellationem à dicta sententia absolutoria lata in dicto Tribunali Auditoris Camerae, vel per alium ordinarium Iudicem primæ instantiæ, verificari soleat casus, quod talis sententia non producat dictum effectum vulneratiuū; Vel quia sit nulla, seu notoriè iniusta, adeò vt habenda sit pro non extante; Vel quia non tangat substantiam contractus, vel debiti, sed potius ordinatoria, aliaque incidentia, vnde propterea integrū sit creditori petendi debitum in iudicio executiuo, quod ab hoc Tribunali iure suo non exercetur; Hinc proinde, congrua, imò necessaria est ista communi-

catio; Non tamen exinde inferri potest ad circumscriptionem sententiæ, quodque sanaretur vulnus, quod de iure ab ea sententia illatum sit, sed intelliguntur communicatæ facultates sub implicita conditione seu clausula *quatenus de iure intrent*, quod quandoque in eodem rescripto exprimi solet, sed vbi non exprimitur, subintelligendum est, ex generali propositione superius insinuata, quod scilicet rescripta Signaturæ Iustitiæ intelligenda sunt prout de iure, cum ipsa non habeat facultatem dispensandi vel derogandi legibus, idque reseruatum, sit Signaturæ Gratiæ. M

Benè verum quod pro meo sensu de facili ad hunc effectum ista commissio ex integro concedenda est, siue de facili Rota opinari debet, quod iniustitia sit adeò malignantis naturæ, vt tollat huiusmodi sententijs absolutorijs hanc operationem, cum istæ sint subtilitates, & cabalæ legales, pro inanibus circuitibus atque pro defatigando creditores, & confouendo calumnias, ac subterfugia debitorum.

Ideoque mihi semper arrisit moderatus stylus huius Tribunalis, cuius auctor, & magister, reuera fuit dictus magister meus *Androssilla*, effugiendi quo magis fieri potest subiectionem huiusmodi superstitionum, ac formalitatū legalium.

Idemque fuit auctor alterius praxis, quæ hodiè habetur, me illam sibi suggerente, abbreviandi appellanti bus fatalia, quæ in causis extra Curiam de iure canonico sunt biennij, saltim iuxta antiquam praxim, vt scilicet elapso anno, procederetur ad præfixionem termini, ideoque cum eadem proportionem, cum in Curia sit vnus anni tantum, vt de hac differentia habetur, *sub tit. de iudic. in rubrica*, appellationū, abbreviari deberet per sex menses, ac etiam fortè minus pro causarum qualitate, rescendo quo magis fieri potest calumnias, & subterfugia. N

Eodem modo quo hodiè commendabiliter Romana Curia, (excepto verè dånabili stylo fori capitolini), negligit omnes nullitates, quæ ex rigoroso ordi-

ne

I. proxime supra, & tit. de credito, disc. 117.  
L. infra disc. 34.

M. Coccin. dec. 78. dicto disc. 117. de credito & tit. de iudic. dicto disc. 42. in quo agitur de processu executiuo.  
N. tit. de iudicis, disc. 37.

ne iudiciario resultent, exceptis tribus substantialibus, iurisdictionis, citationis, & mandati, vt in eodem titulo de Iudic. in Rubrica nullitatum aduertitur.

Quandoque vbi recurratur ad Signaturā, aduersus mandata relaxata per de-  
44 creta interlocutoria, à quibus integrū sit reponere, abstinere solet à rescribendo de appellatione, sed oretenus iniungit Iudicibus ibi præsentibus quod iterum Partes audiant, cum ita Iudices, audito sensu Signaturæ, siue cum ea discussione melius dilucidata causa, soleant reponere, vel reformare, Idque nimium commendabiliter quidem, vt rescantur, circuitus, ac sumptus, quos prosequutio appellationis producit; Ex eodem quoque laudabili sine quandoque dando prouisiones circa ordinatoria vel alia incidentia, puta circa admissiones articulorum vel similia, abstinendo à commissione appellationis, quæ de iure occasione grauaminis etiam in incidenti, totam causam traheret; Cum similibus incidentibus, & prouisionibus circa ea, in quibus vna Partiu se grauam credat à Iudice, vnde propterea recurrat ad hoc Tribunal, quod in hac parte vicariū munus Papæ gerit.

Ac etiam, quando videatur, quod cause turbiditas exigat, commissionem cum clausula suspensiuā seu translatiuā executionis, dignoscatur tamen, quod hæc mora præiudicium irreparabile appellato causare valeat; Itā vtrique consulendo, demandare solet sequestrum prouisionale de quo eodem tit. de iudic. in eius particulari rubrica; N. 2. Siue alia capi solet oportuna prouisio pro causæ qualitate.

Quando autem dici mereatur causa  
46 turbida, adeò vt rescribendum sit de clausula suspensiuā, vel translatiuā executionis; Impossibile est certam statuere regulam generalem, cuiusque casui applicabilem; Tum quia totum pendet à singulorum casuum particularibus circumstantijs; Tum etiam ob varium Tribunalis stylum, iuxta varietatem sensuū, vel intellectum eorum, qui pro tempore in eo sedent; Et ex qua ratione generaliter sequitur, quod huius Tribunalis styli sint varij, atque in dies mutantur, ideoque regula certa statui non valeat; Quandoque siquidem procedi solet cum sensu, vt causæ turbiditas, vel altior in-

dago præbere debeat aditum commissio-  
ni, cum clausula suspensiuā, vel translatiuā; Vnde propterea captiosi appellantiū defensores (quibus forensium Rabularum titulus rectè congruit) studeo solent artificiosè facti seriem involuere, multaque motiua, etiam non vera cumulare, vel ea, quæ vera sunt, alterare, vt ita causa videatur involuta, & commissione digna, cum impossibile sit, in tam breui spatio, & cum tanta causarum multitudine, vt omnia maturè examinari valeant (adeò vt pro meo sensu portentosum videatur id quod agitur); Alio verò tempore, (atque pro meo sensu probabilius) id retorqueri solet, quoniam quando causa est de sui natura executiuā, non admittens appellationem suspensiuā, atque Iudex, coram quo discussa fuit, reiecit exceptiones à debitore deductas, tunc præsumptio potius assistere debet iudicato, ac propterea turbiditas debet esse causa, vt procedatur cum regula, non autem cum limitatione; Ideoque prima opinio erronea potius videtur, potissimè verò vbi, agatur de causis concernentibus commercium, vt (ex. gr.) sunt illæ literarum cambij, vel illarum paruarum apodissarum, quæ pagherò vulgò dicuntur, siue assurationis mercium, aut pro pretio mercium, quod mercantili more proptè soluendū est, cū Republicæ nimium interit atque proficua sit celer ac sumaria iustitia, more fori mercatorū pro libertate ac facilitate commercij.

De fori competentia, vel Iudicis qualitate, frequenter quoque in hoc Tribunali disputari solet; Vt puta super remissione causarum ad partes locorum Ordinarijs, attenda prima instantia, & an suffragentur priuilegia, quæ desuper pro huius regulæ limitatione deduci solent ratione miserabilitatis personæ, aut ratione Eugeniænæ, siue ob illam fori electionem, quam tribuat obligatio cameralis, vel alia conuentio, cum similibus, quæ fori competentiam in ipsa prima instantia concernant; Aut quod causa ob eius grauitatem debeat esse curialis, cum similibus; Siue in gradu appellationis, an causa committi debeat in Curia, vel in partibus, quia exigua sit; Aut in eadem Curia, an in Rota, vel Prælato, quia nempe valor causæ non excedat sum-

mam

N. 2. tit. de iudic. disc. 13.



man scutorum 500., Ideoque non sit Rotalis, quando de causis prophanis agitur; Aut quando de beneficiis, quod beneficij valor nō excedat ducatos 24., quoties non sit beneficium qualificatum, quod propterea ratione qualitaris, non autem valoris sit causa Rotalis, ut patet in primis dignitatibus; Sive quod etiam in prophanis, dictum valorem non habentibus, agatur de seruituribus, vel de præeminentijs, aut alijs præiudicijs perpetuis habentibus tractum successuum, cum similibus, de quibus frequenter disputare contingit, an ad vnum vel ad alium Iudicem causa pertineat, tam in secunda instantia, quam etiam in prima, quando ita exigat plurium causarum connexio vel præiudicialitas; Puta super concursibus creditorum, siue quod agatur de hæreditate habente bona in diuersis locis, aut quod plurium personarum diuersi fori mixtura contingat, iuxta illas quæstiones, de quibus habetur in sede rerum iurisdictionalium, & competentiarum fori.

Vel vbi accedat quæstio præiudicialitatis siue mixtura vtriusque iudicij civilis, & criminalis, vnde propterea oriatur quæstio præuentionis, siue vtrum vnus Iudex alteri inhibere debeat, vt expectet exitum causæ, quæ coram eo pendeat; Et in summa omnia ea quæ iudiciorum cursum concernunt. N

Et quamuis ad hoc Tribunal quoque, pertineat decidere super iustitia vel iniustitia recusatōis Iudicis, ex capite suspensionis; Attamen, vt alibi pluries aduertitur, ex nimium commendabili Curia stylo, nimium raro huiusmodi quæstiones audiuntur, dum ipsi Iudices, audiendo quod vna Partium, aliquam habeat diffidentiam, libenter abstinere, etiam quando de iuris rigore non essent recusabiles; Idque prouenit à magna integritate, ac omnimoda absentia fordiū, adeo vt iudicia non conuertantur in mercaturas, & telonia; Et per consequens libenter effugitur illa iudicandi occasio, quæ nullum præbeat emolumentum, sed solum laborem, & incommoda.

Ab aliquo moderno tempore, sub pontificatu scilicet Innocentij X., inoleuit vsus, quod recursus à grauaminibus in

causis criminalibus, habentur ad solum Præfectum, qui per se ipsum, vel per eius Auditorem de illis cognoscit, ac prouidet, quasi quod non congruat causis criminalibus publicitas Signaturæ plenæ; Cum alijs pluribus, de quibus in hoc Tribunal agi contingit, quia penè impossibile est omnia recensere, ideoque lector his sit contentus, dum alia apud practicanes perquirere poterit.

Inter illas autem causas, ob quas scribi solet de clausula suspensiuæ, vel trāslatiuæ, etiam vbi regulariter appellatio non intret, reputari solet diuturnitas temporis; Vt præsertim in materia pensionum ecclesiasticarum praxis docere solet, quando non contra eundem, sed contra successorem agatur, iuxta distinctionem, de qua in particulari pensionum sede. O

Siue vbi de illo sumario, & exequutio iudicio possessorio retinendæ, vel reintegrandæ agatur, quod concessum sit aduersus factum Iudicis, quod spoliarium ratione claræ iniustitiæ supponatur, iuxta ea quæ in sede iudiciorum in huiusmodi remediorum rubrica habentur, quoniam cum agatur de concursu iudiciorum hinc inde, congruum reputari solet alterum iudicium tertij; Quod tamen non semper est firmum pro causarum qualitate vel Tribunalis arbitrio, sed est frequentius. P

Quamuis autem ista Prælatūra, in ijs præsertim, qui sint Votantes, adeo magnum præferat laborem, & Curia seruitium; Attamen (vt præmissum est) iste labor, siue ipsa Prælatūra nullum præbet emolumentum bursale, sed potius notabilem sumptum in se sustentando cum conuenienti decore; Et quod magis est, non magni haberi solet, pro assumptione ad primarias dignitates, quoties alterius muneris ratio non exigat; Res quidem aliqua admiratione digna; Tales sunt Curiarum styli, vnde propterea ista species adeo laboriosæ Prælaturæ æqualis penè videtur fortunæ alterius laboriosæ vitæ Aduocatorum; Aliqua tamen istorum meliori conditione circa commodum bursale.

Quamplura Curia Tribunalia, huic Tribu-

O. tit. de pension. disc. 67.

P. tit. de iudicij, disc. 44.

Tribunali Signaturæ non subiacent, vt sunt. Omnes Congregationes Cardinaliū supra recensitæ; Cōgregationes Baronū, & montium; Tribunal Camera; Cameraarius; Thesaurarius; Præsidentes Annonæ, Graeciæ, Dohanarū, Riparū, Zecchæ Archiuij, & Viarū, ac similes, vtpote Camera subordinati; Ac etiam Curia Capitoli; Archipresbyteri Basilicarum Patriarchalium; Alijque Protectores, & Iudices particulares piorum locorum; Nec non Cardinales, quibus non diriguntur commissiones, nisi signatæ manu Papæ; Omnesque aliij Iudices, quibus eadem commissio signata manu Papæ directa sit; Bene tamē omnia hæc, & alia similia Tribunalia exempta ab ista Signatura Iustitiæ, subiacent alteri Signaturæ Gratiæ.

Inter istos Referendarios, & Generales Religionum indecisa pender quæstio præcedentiæ, in qua fauore Prælatorum aliquas facere adnotationes occasio dedit, de quibus in supplemento forte in materia præeminentiarum agendum erit.



### De Tribunali, seu Auditorio Rotæ.

#### S V M M A R I V M.

- 1 DE prima figura inter iudices, quæ in Curia facit Rota.
- 2 Quod Sacra Congregationes sint de diuersa specie vel sphaera, & quare.
- 3 De origine, vel introductione huius Tribunalis Rotæ.
- 4 Quare Auditores dicantur Cappellani.
- 5 Singuli Auditores sunt delegati, sed ipsum Tribunal est ordinarium.
- 6 Decanus quomodo distribuatur causas Auditoribus, & subroget.
- 7 In Rota sufficit vnica commissio, & quan-

- do alia plures dentur.
- 8 De communicatione facultatum Auditoris Camera, & ad quid.
- 9 De antiqua facultate necessaria pro citatione per adictum.
- 10 In Rota commissio est loco libelli.
- 11 Idem in S. Consilio Neapolitano.
- 12 De antiquis Tribunalibus maioribus dicti Regni.
- 13 Quando dictum consilium erectum fuerit.
- 14 Quomodo ibi signentur supplicationes.
- 15 De imitatione additi decisiones dicti Consilij.
- 16 Ex quibus nationibus Auditores Rotæ eligantur, & de eorum numero antiquo.
- 17 De eodem, & de statu moderno, & de antiquis nationalibus.
- 18 De loco Bononiensis.
- 19 De loco Mediolanensis.
- 20 De loco Ferrariensis.
- 21 De loco Hetrusci.
- 22 De alijs tribus locis Romanorum.
- 23 Prouincia Regni Neapolitani non habent locum in Rota.
- 24 De Pontificibus, qui in hoc sæculo exierunt à Rota.
- 25 Quomodo assumatur Auditor nouiter electus.
- 26 De ratione ob quam fiant tot ceremonie, & solemnitates.
- 27 De disputationibus publicis, quæ substituentur, & de secretis.
- 28 De admissione post expletas solemnitates.
- 29 Non admittuntur illegitimi.
- 30 Quid importent emolumenta Auditorij Rotæ.
- 31 An Auditor priusquam admittatur gaudeat priuilegijs Auditorum, inter quæ est illud obtinendi expeditiones bullarum gratis si promoueantur.
- 32 Quos habeat adiutores.
- 33 In quibus diebus Rota habeatur.
- 34 Quomodo sedeatur in Rota & votentur causa.
- 35 Auditor non decidit causas etiam compromissas non audito voto Rotæ.
- 36 De modo concordandi de dubio.
- 37 De disputatione dubij vtraque parte informante, vel altera tantum.
- 38 Qualis sit hodiernus stylus circa dubia, & qualis esset antiquus.
- 39 Quomodo fiant informationes per Aduocatos,

N. de his tit. de iudic. disc. 3. & tit. de iurisdic. pluris.